VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
EXPERIENTISSIMOq;
DOMINO

IO. THEODORO MEISNERO,

DOCTORI MEDICO & PHYSICO IN CIVITATE
REGIA THORUNENSI PRIMARIO
CELEBERRIMO,
CUM
INOPINATIS DOLORIBUS CALCULI E PULMONIBUS
EXCUSSI
OPPRESUS, PLACIDE IN DOMINO
d. XXX. Jul. An. CIƆIƆCCXI
EXPIRASSET,
& d. V. Aug. ei. A.
IN TEMPLO MARIANO CONTUMULERETUR,
ULTIMUM HONORIS OFFICIUM PRAESTABANT,
MOESTISSIMAMQUE VIDUAM ET LUGENTES SOLARI
VOLEBANT

RECTOR ET PROFESSORES GYMN. THOR.



THORUNII,
Impressit Joannes Nicolai, NOB. SENAT. & GYMN.
Typographus.

Doctorum numerum numeret quis quaeso Virorum,
Infausti lapides queis peperere necem?
Pondera quis referat lapidum, quis mille figuras
Corporis & partes, quae lacerantur eis?
Gorgones ô Musae Cultoribus esse velitis.
Saxificae? Vestri Saxea membra gerent?
Castalii miseris torquebunt viscera fontes:
*A*c animo molles corpora dura ferent?
O, *Meisnere*, Tibi haud dederat praecordia dura
Numen. Tu nullis asperitate gravis.
Te tamen horrendi vexabant saepe lapilli.
Haec Tibi praeter spem monstra tulere necem.
Calculus infelix putridis pulmonibus ortus
Faucibus inhaerens, proxima causa necis.
Altera progenies renis trinacria supra
Obtulit, & reliqui cordis imago fuit. [*]
*M*ultiplices alii cruciabant membra lapilli,
*P*ressus sic duro marmore vivus erat.
Hoc non vis ferri potuit, *P*anacea nec ulla
*F*rangere, nec liquor triste domare malum.
Qui valuit duros aliorum tollere morbos,
Non mollire potest viscera dura sibi.
Nilque sua doctus sibi prodest arte *M*achaon,
Saxea cum debent fata notare Virum.
*N*on artis lapides sint, sed monumenta doloris,
Iusta tamen famae sunt monumenta bonae.
Ergo, Beate, bonis caeli Tu rite fruaris,
Hic virtus saxo firmior ipsa manet.
*M*oestam Tu Viduam, Deus optime, quaeso tuere,
*I*ndulgens esto prolis ubique Pater.

f.
P. Iaenichius, R.

(*) Similem calculum cordiformem in vesica Notarii Caesarei inventum memorant Obs. Curios. A. 1682. obs. 103. plures alias formas calculorum, ut & eorum doloribus peremptos eruditos quamplurimos refert Lud. Ch. Crellius V. Cl. in ΘΑΥΜΑΤΟΛΙΘΟΛΟΓΙΑ supremo honori B. Seeligmanni, Concionat. Aul. Sax. Summi data.

MOrtuus eſt citius *Meiſnerus* doctus ab arte
Hippocratis, quam vix ægrotum quisque putabat,
Non Medicus Medicum medicis curare valebat
Fomentis, quoniam nemo tranſcendere metam
Vitæ præfixam potis eſt; Mors quin habet ullum
Ex Medicis quæſtum; moriendi cuique facultas
Injuncta eſt. Medicus morborum ſuſtulit arte
Mirifica fraudes, neſcit tamen ipſe ſuosmet
Morbos; hinc ipſum lethæo Parca ſopore
Opprimit, atque ſecat velocia ſtamina vitæ.
Meiſnero bene ſit, capiatque Palatia cæli
Et viduam mœſtam cum Natis, Chriſte, duobus
Suſcipe, ne pereat Patris perchara propago.

EPITAPHIUM PIE DEFUNCTO M.D. ERECTUM.

MEiſnerus jacet heic medica Clariſſimus arte,
Qui fuit ætatis doctus Apollo ſuæ.
Morborum omne genus curabat, & arte levabat,
Aſt aliis Medicus, defuit ipſe ſibi.

l. mq; c.
f.
M. MARTINUS Böhm.

Tunc homines tutam creduntur ducere vitam,
Rectè quum sese cura salutis habet:
Nimirum, quando Medicus, qui pellere novit
Morbos, infirmos sospes adire potest.
Nuntius ast quando Medicum decumbere dicit,
Alter ait, Doctor mox in agone jacet;
Tertius accurrit, dicens, jam lumina clausit;
Tunc ægri pariter se periisse putant.
Talia de Doctore probo Medicæque perito
Artis Meisnero *sunt memorata nova:*
Talia sensa gerunt animi, quos Ille reliquit
Ægros, atque suâ quos relevavit ope.
Quis, dicunt, nos ægros læta mente levabit?
Quis tanta pellet dexteritate mala?
Cognati lugenti mente queruntur Amicum
Amissum ruptó fœdere amicitiæ.
Imprimis Conjux deplorat fata Mariti,
Et sua mansueto jam viduata Viro.
Nec minus exanimem Natorum biga superstes
Prosequitur fletu & corde gemente Patrem.
Et pietas hæc ipsa quidem laudanda, peremptum
Attamen ad vitam non revocare valet:
Cui fragili pro vita æternam Conditor orbis,
Hoc & pro mundo cœlica regna dedit.
Immodicos igitur præstabit ponere luctus
Propter eum, qui jam gaudia mille capit;
Cujus & ob claras virtutes hic & in orbe
Toto nomen, honos, lausque perennis erit.

Tantum
In Honorem Experientissimi Medici
l. scr.
M. Martinus Bertleffius, P. P.